

Secundo, signum est electionis ad gloriam, ut indicat Zachar. c. IX. ubi s. eucharistiam vocat frumentum electorum: *Quid enim bonum ejus, inquit, et quid pulchrum ejus nisi frumentum electorum et vinum germinans virgines?* Quæ verba ad eucharistiam ad litteram exponit S. Hieronymus et alii communiter: Mithridatis Ponti rex mediante theriaca, quam ab ipso inventam Mithridaticum appellant, quotidie sumpta adeo naturam suam contra venenum armavit, ut tandem id sine noxa sumeret, ac cum in potestate Romanorum venisset, veneno sibi necem afferre cum vellet, non posset, Plin. XXV. c. II. Similem theriacam, sed spiritualem advenit cæli et terræ Rex, qua contra peccati venenum vitam nostram tuemur, uti ipsemet sæpius indicat, veluti cum ait: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, Joan. VI. Quod tamen id potissimum obtinent, qui theriacam istam frequenter et debite sumunt. Hoc enim qui faciunt, ita vitam animæ suæ roborant ac muniunt, ut veneno peccatorum vix infici, minus periri et interire possint. Sane Concilium Trid. sess. XIII. c. asserit: Sacramentum hoc institutum tamquam antidotum quo liberemur a culpis quotidianis et peccatis mortalibus præservemur.

IV. Invitat exemplum antiquorum Christianorum et maxime primorum sub tempore apostolorum, qui utique mentem et voluntatem Christi optime noverunt, ideoque ut scribit S. Luc. Act. II. *Erant perseverantes in communicatione fractionis panis*: non utique communis (hoc enim Epicureum potius, quam laude dignum foret) sed eucharistici, ut clare vertit Syrus, qui vocem eucharistiæ, Græcam licet, retinuit. Eam autem perseverantiam de quotidiana communione intelligunt ss. patres, eaque consuetudo quotidie communicandi diu in Ecclesia, præsertim Latina, viguit, ut testatur S. Anacletus papa, de consecr. d. II. c. *Peracta*: et Sanct. Hier. in apol. contra Jovin. et in ep. ad Lucium idem asserit de Hispanorum Ecclesiis. Commendatur præterea a multis ss. patribus: S. Basil. in ep. ad Cæsariam patriam, apud Canisium de eucharistia, quæst. IX. scribit fideles suo tempore quater in hebdomade communicasse, in dominica videlicet, feria quarta et sabbato et reliquis sanctorum festis diebus: S. Epiphani. in comp. doctr. meminit consuetudinis ter in hebdomade communicandi, die solis scilicet, Mercurii et Veneris. S. Justinus martyr apol. pro Christianis ad Antoninum Plum imperatorem scribit, sui temporis fideles quovis die solis convenisse ad synaxin. S. Aug. in ep. XVIII. ad Jan. scribit, suo tempore alios quotidie, alios certis diebus, alios dominico

tantum celebrasse. Post hunc S. Chrysost. hom. XVII. in ep. ad Hebr. *Multi*, inquit, *hujus sacrificii semel toto anno sunt participes, alii autem bis, alii vero sæpe, etc.* et ultimos commendat super omnes, primos vero reprehendit variis in locis, uti homil. LXI. ad pop. hom. V. in I. ad Tim. Ita videmus hoc tam laudabile pietatis studium, crescente fidelium numero paulatim elanguisse, et tandem nostros sæculo penitus refrixisse. Hinc infirmitates et miseria nostræ. Quare sicut statua, quam in somnis vidit Nabuchodonosor, habuit caput aureum, pectus et brachia argentea, ventrem et femora ærea, tibias ferreas, pedum partem unam ferream, alteram fictilem, Dan. II. ita fere Ecclesia deficit paulatim in hoc exercitio. Aurea et ferventissima fuit in quotidiana communione tempore apostolorum; argentea tempore S. Basilii, Hieronymi et Augustini; ærea tempore S. Chrysostomi; ferrea posterioribus sæculis; nostro vero ævo partim ferrea in iis, qui singulis mensibus saltem adhuc communicant, partim lutea in iis, qui in anno semel tantum.

Sed quod nobis, dicet aliquis, hac in re consilium? Respondet S. Bonav. l. de processu relig. c. XXI. et cum eo alii dd. vix posse in hac re certam regulam statui, sed standum fere judicio pii et prudentis confessarii. Statuamus tamen regulas aliquot.

Prima, a cæpta semel consuetudine sæpius communicandi, si quis sentiat inde se proficere, vel certe a peccatis præservari, non est cedendum. Ut enim arbores irrigationi assuetæ, si deficiat cultura, damnum capiunt, et corpora languida medicinis assuefacta, si illæ subtrahantur, in graviores languores incidunt: ita qui s. communionis frequentia assuefactus est, si desinat, paulatim decidit.

Secunda, sæculares certis oneribus vel occupationibus, quibuscum stare nequit illa devotio, obstricti satisfaciant potius debito suo, quia melior est obedientia, quam victima; et justitia potior, quam devotio non necessaria.

Tertia, cæteris paribus sacerdotes decet frequenter celebrare, et expediret, meo judicio, quotidie (nisi gravibus oneribus distraherentur), sic enim spiritum et fervorem facilius conservarent, sicut cum hypocaustum hiemali tempore quotidie calefit, facilius colorem concipit retinetque, quam si die uno alterove calefieri desinat. Cæterum si ex humilitate se quandoque abstrahant, non male agunt: sed ob hoc laudantur a S. Bonavent. loco indicato. Et ita pertinent sacerdotes ad caput aureum, quibus ratione status sui supplere sæpe Deum defectum credendum est, religiosi vero, non sacerdotes et alia quædam personæ conti-

nentes et ferventes in obsequio divino, nullis oneribus obstrictæ, possunt semel in hebdomade communicare, et ita in pectus argentum reponi. Alia personæ sæculares Deum timentes et devotæ, recte facient, si semel aut bis in mense id faciant, uti viduæ, et qui non ita magnis familiæ oneribus gravantur, ut sic cum menstruis noviluniis renovent spiritum suum, et sint sicut ligna vitæ in utraque parte fluminis paradisi, quæ afferunt fructus duodecim, et per menses singulos reddunt fructum suum, Apoc. XXII. Ii porro qui conjugii vel servitii oneribus premuntur, satisfaciant Deo, si in festis saltem precipuis se disponant ad communionem, et ita ad tibias ferreas pertinebunt. Cæterum ad pedes luteos, quos alios referam, nisi eos qui toto anno in luto incedunt, periculosos negotiationibus intricati, ideoque fœde inquinati communiter esse soleat? Quos tamen cuperem paulatim proficere et sæpius in anno sordes suas excutere, ne videantur in paschate, sola præcepti necessitate compulsi communicare. Et quid isti respondebunt Christo, si ab eo increpentur aliquando, quod sibi intulerint mortem animæ suæ, quandoquidem jam facit et prompto remedio suæ perditioni occurrere potuissent? O miseri et cæci, dicet, quare voluistis mori, qui fructum ligni vitæ in horto et potestate vestra habuistis? Jacob patriarcha cum famis tempore audisset vendi in Ægypto alimenta, increpavit filios suos, quod non pergerent eo, frumentum coempturi: *Quare negligitis?* inquit. *Audivi, quod triticum venundetur in Ægypto, descendite et emite nobis necessaria ut possimus vivere*, Gen. XLII. Alimenta illa (Hebr. scæber, id est, frangenda) typus eucharistiæ sunt, quæ fractio panis appellatur. Quare igitur negligitis emere vobis, o tepidi, vitam et salutem, etc.

CONCIO VI.

DISPOSITIO REQUISITA AD SANCTAM COMMUNIONEM.

I. Mundities corporis. — II. Puritas conscientiæ. — III. Præparatio animæ. — IV. Intentio recta. — V. Fiducia.

THEMA.

Affer manum tuam et mitte in latus meum. Joan. XX.

Negari non potest, magnam fuisse Christi Domini dignationem, qua se post resurrectionem suam incredulo discipulo præbuit palpandum, imo ut palparet eum invitavit. Hoc enim ipsum

paulo ante negarat Magdalene dicens: *Noli me tangere; nondum enim ascendi ad Patrem meum*, Joan. XX. sed nec hoc negari potest, non esse minorem, sed potius majorem Domini dignationem qua nos non ad contactum tantum gloriosi corporis, sed ad ipsam etiam sumptionem, non tam admittit, quam humanissime invitat. In hac enim non quemadmodum Thomas tangimus solummodo latus ejus, sed ipse potius totus descendit in latus nostrum, ibi sedem sibi deligit, ibi cubat et requiescit, ut vere exclamare possimus Mosaicis illis verbis, Deut. IV. *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis*. Nec enim illa aderat vel ipsi Moysi et Israelitis, quoniam illa per angelum solum, nobis autem per semetipsum corporaliter est præsens. Porro ad hunc sui admirandum contactum invitat nos Dominus noster specialiter hoc tempore et quodammodo ad nos dicit: *Affer manum tuam, et mitte in latus meum*. Sed quoniam hæc vocatio maximæ, ut dixi, dignationis est, videndum nobis prius, ut debito modo tangamus. Atque utinam vidissemus, vel cogitare saltem possemus quanta cum reverentia, humilitate et timore miserit Sanctus Thomas manum in latus Domini: ut vel ab illo disceremus, quomodo ad eucharistiam præparare nos deberemus. Solebant olim communicaturi manu in volam exporrecta, recipere corpus Christi. Cum ergo Dominus requirat manum, quæ mittatur in latus ejus, docebit nos manus ista quinque suis digitis præparationem debitam.

I. Primus digitus auricularis, quod aurem eo purgemus, est mundities corporis. Ac primo, requiritur ut vasa communicantium ab omni pollutione, etiam involuntaria (nisi gravis obstet causa) et ab opere conjugali sancta sint. Si enim S. Hieronymus scribit in epistola quadam, se basilicas martyrum ingredi non ausum, si quando nocturnum phantasma eum deluserit: quanto minus audendum, ut post talem delusionem accedatur ad purissimum Virginis filium? Conjugibus præcipit Concilium Elibertinum, cap. Omnes de consecr. q. II. ut saltem tribus aut quatuor diebus se contineant. Ac propter hanc causam Abulensis asserit ex doctissimis Hebræorum, percussus fuisse Ozam ob contactum arcæ, quod scilicet præcedente nocte se non continuisset, II. Reg. VI. Achimelech antequam Davidi ejusque commilitonibus porrigeret panem sanctum ex mensa propositionis, interrogavit: *Si mundi sunt pueri?* I. Reg. XXI. quod si panis ille, qui eucharistiæ figura tantum erat, non debebat dari iis, qui se non per dies aliquot continuissent, quanto minus eucharistia ipsa vinum germinans virgi-

nes, debeat dari nisi puris, id est, continentibus? Si arca noluit tangi nisi a continentibus, quanto magis Christus? Quin etiam Cyprianus ait: *Placendum est divinis oculis etiam in habitu*. Sic enim cum ad nuptias, vel convivium virorum honoratorum imus, decore nos vestimus, et indecens arbitramur apparere in veste sordida: cur non eandem saltem decentiam exhibeamus convivio Christi? Refert Ammianus, de Pericle philosopho, quod cum aliquando is præter morem ornatus se vestisset, iturus ad nuptias adolescentis forma præstantis, et rogatus esset, cur adeo se nunc ornasset, respondit: *Ut pulcher ad pulchrum vadam*. Pulcherrimus est noster sponsus, speciosus forma præ filiis hominum, ad cujus conviviumeamus: idcirco omnino decet ut pulchri ad pulchrum eamus. Sed requirit ille in bonis principaliter animæ tantam pulchritudinem: decet vero ut addamus etiam pulchritudinem corporalem, quæ tamen non consistit in superbo et pretioso vestitu, qui potius abominatio et fætor est coram Deo (siquidem et ipse venit ad nos in humili et exigua panis specie) sed in vestitu honesto ac decenti; et hoc ad honorem tanti sacramenti. Debet etiam corpus præparari per jejunium præcedens; ita ut eo die ante communionem nihil omnino sumatur: id quod semper in Ecclesia diligentissime observatum fuit. *Placuit Spiritui sancto*, ait S. Aug. in ep. ad Jan. *ut in honorem tanti sacramenti, in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam exeri cibi*. S. Chrysostomus accusatus aliquando, quod non jejunos admitteret ad communionem, respondet, ep. III. ad Cyriac. *Si hoc feci expungatur nomen meum ex albo episcoporum, et ex libro orthodoxæ fidei, et abiciat me Christus a regno suo*. Decet vero hoc, tum ob reverentiam sacramenti, tum ut per hoc moneamur desiderare cibum præstantiorem: quo modo Christus cum Samaritana loquens et res spirituales tractans, respuit cibum sibi a discipulis allatum: dicebat enim: *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis*, Joan. IV.

II. Secundus digitus annularis, annulo deputatus, est gloria et puritas conscientiæ: quam ut necessariam ostenderet Dominus ad communionem, voluit prius lavare pedes discipulorum suorum, quam eosdem communicaret. Non dissimiliter David, qui Psal. XXIII. dixit: *Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum, Domine* Quid enim hæc lotio significet, docet usus Ecclesiæ perpetuus, et nuper Concilium Tridentinum declaravit, cum præcepit, ut s. communioni confessio præmitteretur, et nemo ullius peccati lethalis conscius accedere præsumeret. Siquidem apost. dicit, I. ad Cor. XI. *Qui mandu-*

cat et bibit indigne, iudicium sibi manducat, et bibit, et reus erit corporis et sanguinis Domini. Nihil in mundo ostendi potest quod oderit Deus præter peccatum, licet enim tibi fœteat os, licet sis leprosus, deformis, male vestitus, nihil horum horret Deus, quia nihil odit eorum, quæ fecit, cum sint omnia bona et opera ejus. Solum peccatum ille non fecit ideoque malum est et abominatio coram Deo: hoc igitur a divinis oculis et præsentia longissime removeri debet. Scribit Clem. Alexand. in protreptico ad Græcos, captivos quosdam a bardaris alligatos fuisse cadaveribus hominum, ut horum fœtore vexarentur et perirent: viderit peccator annon eodem supplicio Regem gloriæ afficiat, cum eum corpori suo subdito peccatis, mortuo et fœtido per s. communionem alligat. Et quid quæso ex conjunctione rerum inter se adeo pugnantium, ut sunt Christus et peccator, speres, nisi debilioris corruptionem? Quomodo enim ignis aquæ jungetur? Quomodo bonum malo? Quomodo pulchrum deformi? Sanctus peccatori? Benignus iracundo? Humilis superbo? Non recordaris Dagonis idolum cum arca stare non potuisse, sed iterato corruisse, et propterea plurimos Philisthæos percussos esse? I. Reg. V. Quid vero aliud est peccatum, quam idolum coram Deo? Scribit S. Dionys. de hierarch. ecclesiastica, et Chrys. hom. V. in I. ep. ad Tim. in primitiva Ecclesia divinitus factum, ut qui indigne communicarent, aut morte mulctarentur, aut a dæmone correpti vexarentur, aut aliis calamitatibus afficerentur. Refert Evagrius, in vitis patrum, p. II. B. Macarium Alexandrinum in ecclesia, cum sui monachi sacram perciperent synaxin, vidisse nonnullos illius loco a diabolo ignitos carbones accipere, ipsumque Christi corpus ad presbyteri manus remeare. Cum vero boni religiosi id digne acciperent, longe isthinc fugisse dæmones, et ss. angelos junctis cum sacerdote manibus eos communicasse. Simile exemplum refert Cranzius, l. 1. c. IX. annal. Saxon. Witikindum Saxonum principem adhuc gentilem vidisse in castris Caroli Magni sub communionem pulchellum puerum in os quorundam hilariter descendere, ab aliis vero abhorrentem avertisse vultum. Profecto illi digne, hi indigne communicabant.

III. Tertius, dictus medius, digitorum princeps, est præparatio animæ, ut dignum fiat corporis Christi receptaculum. Propter quod cum eucharistiam institueret Dominus, elegit sibi cœnaculum grande stratum, paratum (ut est apud Marcum in Græco textu.) Quomodo autem parare debeamus cœnaculum Christo, docet nos Sunamitis illa, IV. Reg. IV. quæ de Elisæo dicebat ad

virum suum: *Animadverto, quod vir Dei sanctus est isle, qui transit per nos frequenter. Faciamus ergo ei cœnaculum et ponamus ei in eo lectulum, et mensam et sellam et candelabrum, ut cum venerit ad nos, maneat ibi*. Transibit per nos Christus sanctus sanctorum: paremus ergo illi candelabrum, lectulum, sellam et mensam. Candelabrum designat fidem, quam ante communionem concipere debemus firmissimam. Audimus enim Christi verba in hodierno evangelio: *Beati qui non viderunt et crediderunt*, q. d. beatiore, quam qui viderunt et crediderunt. Idcirco S. Ludovicus rex Franciæ, cum quidam ejus proceres in palatii Parisiensis sacello, sub elevatione Christum visibiliter in specie elegantissimi pueri cernerent, et regem ad ideum spectaculum invitarent, renuit ire dicens: *Qui non credit, vadat et videat. Ego credo et fidei meritum libens conservo*. Refert Viguierius, in instit. christ. theol. c. de eucharistiæ sacramento, et alii.

Lectus designat quietem a laboribus, curis et negotiis sæcularibus, et cor pacatum; quemadmodum enim qui e balneo medicarum aquarum exit, paulisper in lectulo quiescit, de consilio medicorum, sic post confessionem, tempore intermedio usque ad communionem quiescere oportet a curis extraneis, ut ne iterum ad sæcularia distrahamur et gustum s. communionis perdamus. Ideoque debent patres et matresfamilias subditis suis tempus illud liberum concedere, quo sibi vacare queant. Non enim statim a confessione currendum ad communionem. Si enim filii Israel jussi a Deo triduo se preparare ad legis susceptionem per continentiam et lotionem vestium, Exod. XIX. si virgines Assuero adducendæ, prius tandiu et tanto studio se comebant, Esth. II. si paeri in conspectu regis Babylonis statuendi prius tribus annis enutriebantur cibis regiis, ut forma elegantes fierent, Dan. 1. cur non etiam aliquid temporis detur præparacioni ad communionem? Moyses relicto populo solus ascendere in montem Sina ad Dominum jussus, ibique præterea a nebula circumdatus, ut ipsi sic omnia creata ex aspectu ejus auferrentur, et ipse tanto attentius vacare divino colloquio posset, Exod. XXIV. pari modo decet ut ad Christum accessuri, imo eum sumpturi segregemus nos a mundo et sæcularibus negotiis.

Sella præmeditationem futuri convivii designat. Qui enim vult occurrere alicui regi, *sedens prius cogitat, quomodo ei occurrat*, ut Salvator dixit. Luc. XIV. atqui regem Regi obviamus in communionem: quanta igitur sollicitudine præmeditari debeamus quo ituri et quid facturi simus? Hebræi, cum de cælo pluit eis manna, antequam id gu-

tarent, dicebant, *Manhæ? Quid est hoc?* Exod. XVI. similiter ergo antequam cœleste hoc eucharistiæ manna degustemus, sedeamus et dicamus: *Quid est hoc?* Panis iste Deus est, ante quem cœli contremiscunt et angeli velant facies suas: quid ergo me facere convenit? Dicamus cum S. Thoma: *Dominus meus, et Deus meus*: et cum S. Francisco: *Deus meus et omnia, quis es tu? Et quis sum ego?* Qui sine omni præmeditatione panem hunc accipiunt, iudicium sibi manducant, test. apost. I. Cor. XI. quia *non dijudicant corpus Domini*, hoc est non discernunt a mensa communi mensam hanc cœlestem.

Mensa designat famem quamdam et appetentiam spirituale eucharistiæ, quam excitare in nobis debemus, antequam accedamus, ut ita cum majori gustu et fructu cibum illum capiamus; quod non difficile poterimus, si consideremus hujus cibi præstantiam et nostram indigentiam. Indigentia nostra tanta est, ut nisi hoc cœlesti pane identidem reparemus animæ vires, paulatim deficiamus in via mandatorum Dei, et in multa ac gravia vitia tandem collabamur. Hoc nobis insinuavit Dominus, cum Marc. dixit in deserto: *Misereor super turbam, quia non habent, quod manducant, et si dimisero eos jejunos, deficient in via, quidam enim ex eis de longe venerunt*. Experientia enim docet, quod cum nulla est hujus sacramenti frequentatio, ibi corrui disciplina et virtus, crescunt vero vitia, quæ instar zizaniorum suffocant sementem bonam. Sicut e contrario, ibi floret disciplina, virtus ac pietas, ubi floret frequentatio hujus sacramenti. Præstantia vero cibi tanta est, ut omnibus nostris necessitatibus vel semel digne sumptus mederi posset: est ipse fons omnis medicinæ, quem vel a longe aspicientes et salutantes patres adeo desiderabant. *Abraham exultavit ut videret diem ejus: vidit* (etsi in spiritu tantum et figura) *et gavisus est*, Joan. VIII. Jacob moriturus dicebat: *Salutare tuum expectabo, Domine*, Genes. XLIX. David item in spiritu aiebat: *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem?* II. Reg. XXIII. Quid si isti patres reipsa potuissent Salvatore in eucharistia sibi intime unire? Hæc ergo illorum desideria pudefacere nos debent, si sine fame spirituali ad communionem accedamus. Cogitate: si nunc appareret Abraham, Jacob, David cæterique patres et inter nos accederent ad s. eucharistiam, quanto illi desiderio, quanta lætitia, quanta humilitate et reverentia hoc agerent?

IV. Quartus, index dictus ab indicando, est intentio, quæ dirigit actiones nostras estque oculus animæ, qui: *Si simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit, si autem nequam fuerit, totum corpus tenebrosus erit*, teste Domino nostro. Nequam est

Hic oculus in proposito primo, si quis principaliter moveatur ad communicandum pro temporaria commoda aut lucro veluti pauperes aliqui ut a ditioribus largiores accipiant eleemosynas et cibos, etc. necnon sacerdotes nonnulli, qui principaliter celebrant ob speratum lucrum aut commodum suum, qui nihilo meliores sunt duobus filiis Aaron, Nadab et Abiu, qui obtulerunt Deo sacrificium ex igne alieno, id est, profano, qui adhibebatur ad coquendas carnes, cum debuissent accipere ignem sacrum, qui fovebatur ad sacrificia et thymiamata, et propterea ab igne de altari egrediente devorati et combusti sunt, Levit. X. Ignis sacer charitas est, quæ movere debet ad sacrificandum et communicandum. Ignis alienus et profanus cupiditas est, cum anima movetur ex avaritia similique causa; quem ignem non Deus, sed caro vel dæmon suppeditat. Caveant sibi qui cum tali igne communicant.

Oculus nequam est, si quis communicet ex hypocrisi, ut videatur hominibus pius et sanctus. Talis enim Herodi similis est, qui simulabat se quoque venturum ad Christum regem natum, ut adoraret eum; sed venit cum gladio et ira, non cum devotione et humilitate, quia cupiebat regnum suum stabilire, Christi vero delere. Similiter qui ob vanam gloriam communicat, venit ad Christum ut hostis, quia non querit Christi gloriam, sed suam. Unde nec fit particeps virtutis sacramenti, quia *Spiritus sanctus effugiet fictum*, ait Sapiens, Sap. 1. et sicut in vero flore consistit apes, in ficto vero muscæ, ut alibi diximus ostendisse Salomonem: ita in tali communicante, non requiescit gratia et virtus sacramenti, sed musca vanitatis et diabolus.

Oculus nequam est, si quis communicet ex metu solum et coactione, ut quia Ecclesia præcipit et inobedientes punit, etc. Talis enim contemptui habet et injuria afficit divinum hoc convivium, quasi non ad epulas, sed ad plagas invitaretur. Propterea Deo displicet, et nec gratiam ejus accipiet. Sicut enim licitum non erat sacco vel habitu servili indutum ingredi ad regem Assuerum, Esth. IV. et si quis talis accessisset, nequaquam ad eum extendisset rex virgam auream (quod erat benevolentia signum, ibid. c. IV.) sic multo minus licitum est ad cælestem Regem ejusque communionem accedere cum servili timore; nec talis accipiet gratiam ac favorem Dei in sacramento, siquidem Christus ex amore illud instituit. *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos*, ait Joan. narraturus institutionem eucharistia, cap. XIII. Quod ergo ex amore institutum est ex amore accipi debet; ne alioquin dicatur nobis: *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nup-*

tialem? nuptialis vestis amor est: timor vero servilis.

Oculus nequam est, si quis communicet solum ex consuetudine, vel ob societatem, quia videt hoc ipsum facere alios. Tametsi enim consuetudo communicandi, et societas bona sit, non debet tamen hæc esse ratio vel causa communionis; quæ ob præcellentem finem instituta est, quem nisi quæramus et assequamur, non tantum frustra, sed etiam irreverenter communicamus. Cum enim præcise propter societatem aut consuetudinem aliquid agimus, eo ipso demonstramus negotium id non magni esse momenti, sive fiat sive non fiat: ut cum circa horam undecimam prandemus, quia ita moris est. Malus etiam oculus foret, si quis præcise ob sensibilem aliquam delectationem et consolationem spiritualem perciperet eucharistiam, eam sibi tamquam ultimum finem præstituens. Quod enim talis delectatio imperfectionem contineat, demonstrare voluit Dominus, cum post resurrectionem suam Magdalena conanti tangere ei pedes dixit: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum*. Joan. XX. et dum discipulis dixit, Joan. XVI. *Excepi vobis ut ego vadam*; ad cælum scilicet, quia volebat Christus, ut desiderium suum a terra ad cælum transferrent, nec carni et terræ inhærent. Qui ob spiritualem tantum dulcedinem et delectationem suam communicat, Christum adhuc carnaliter amat, quomodo apostoli Christum in carne præsentem: et non tamen amore amicitia, quam concupiscentia, qui est amor proprius. Omnes istæ intentiones per foramen ingrediuntur ut fures, quia furantur nobis fructum et virtutem eucharistia.

Simplex igitur et bonus oculus est primo, communicare ex amore, ut jungamur sponso animarum nostrarum charissimo. Secundo, ut a morbis et infirmitatibus animi sanemur per medicum animarum nostrarum optimum, quem in communionem ad nos vocemus. Tertio, ut per Christum, tamquam per hostiam placationis peccata nostra expiemus et Deum Patrem perfecte nobis reconciliemus. Quarto, ut a certa tribulatione et adversitate citius liberemur per præsentissimum liberatorem. Quinto, ut certam gratiam aut beneficia impetremus, per mediatorem cui Pater nihil negare potest. Sexto, ut pro acceptis donis Deo gratias agamus, cum nihil habeamus præstantius aut Deo gratius, quam ejus Filium, quemadmodum dixit David, Ps. CXV. *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam*. Septimo, ut Deum et sanctos honoremus, quid enim honorificentius fieri etiam sanctis potest, quam si in ipsorum festis et sacris ædibus hostia præstantissima Deo immoletur et

hominibus communicetur? Octavo, ut opitemur et defunctis, cum nihil melius clamet, quam sanguis Christi. Optimus vero et primarius finis communionis est is, propter quem Christus eucharistiam primario instituit, ut scilicet convertamur et transformemur in ipsum, vivamusque quomodo ille vixit, et virtutes ejus quasi vestes induamus, quomodo Jacob induit vestes fratris sui primogeniti Esau pretiosas et fragrantas; ut in illis Deo Patri placeamus et benedictionem ejus obtineamus.

V. Quintus denique digitus est pollex, a potentia dictus, fiducia, quam concipere debemus priusquam accedamus ad mensam Domini. Si enim cum magna trepidatione et perplexitate accederemus, devotionem impediremus, et amorum Dei suffocaremus, ac deinde parum recte de Christo sentiremus, qui in eucharistia venit ad nos ut pater, ut medicus et Samaritanus, liberator, adjutor, etc. Tametsi vero in perceptione eucharistia utimur verbis centurionis dicendo: *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, etc.* Sciendum tamen triplicem considerari posse dignitatem. Primo, ut sit tanta, quanta est dignitas suscipiendi, sicut filius regis dignus est filia regis: et sic nemo est dignus Christi susceptione. Secunda, ut servetur proportio ad vires suscipientis, ut faciat quis quantum potest, sicut rusticus regem venientem suscipere quidem pro dignitate regis non potest: si tamen faciat quantum potest et quantum ab ullo præstari rustico potest, censebitur digne suscepisse regem. Et hac quidem ratione pauci digni suscipiunt Christum. Tertia itaque dignitas est quæ Domino sufficit, cum quis saltem accedit sine peccato mortali cum bono fine et cum attenta consideratione beneficii celestis, majestatis Christi, suæ autem parvitas, etc. Ad quod si accedat fervens oratio, facile suppedabit Deus gratiam, ut sufficienter dispositus simus: sicut enim videmus regem cum ad aliquem pagum divertit, non expectare donec rustici hospitium et comæatum illi præparent, cum sciant ad hoc insufficientes esse: sed præmittere cubicularios, œconomos, coquos et similes cum præparamentis et comæatu, ut ipsi omnia pro majestate præparent. Sic absque dubio faciet Deus, si tamen bonam voluntatem habuerimus, et pro viribus quod in nobis est, ejusque opus imploraverimus. Atque ita demum ipso effectu videbimus et gustabimus, quam suavis sit Dominus, adeoque cum D. Thoma exclamabimus: *Dominus meus, et Deus meus*, q. d. ex hac hora me tibi offero in servum, et te recipio in Dominum, si hoc inter nos gluten, ut ne unquam ab invicem divellamur, etc.

CONCIO VII.

DOCUMENTA.

I. A Thoma, quam malum sit ab Ecclesia separatum esse. — II. Naturam et malitiam hæresis. — III. Cedere sensu et voluntate nostra: 1. A Christo lapsis condescendere. 2. De nullo desperare. 3. Non satis esse credere quomodolibet in Christum. 4. Quam bonæ conditionis simus nos.

THEMA.

Noli esse incredulus, sed fidelis. Joan. XX.

In scholis non solum discunt pueri, cum magistrum audiunt bene et ornate loquentem, verum etiam cum discipulum audiunt errantem et a magistro correctum. In hodierno evangelio audimus imprimis magistrum Christum optime et suavissime loquentem: *Pax vobis*; item: *Noli esse incredulus, sed fidelis*: rursum: *Beati qui non viderunt et crediderunt*. Audimus deinde discipulum Thomam, sed errantem et male loquentem: *Nisi videro, etc. et mittam manum meam in latus ejus, non credam*. Verum dum a Domino corrigitur discipulus, discimus non solum a magistro verum etiam a discipulo. Quidnam vero illud?

I. A Thoma discimus, quam malum et periculosum sit ab Ecclesia separatum esse. Thomas enim quamdiu e cœtu discipulorum abfuit, tamdiu incredulus mansit, et Christi aspectu atque alloquio caruit, ubi vero ad communionem discipulorum domum accessit, Christum vidit et agnovit. Hanc ob causam sine dubio Joannes evangelista solius Thomæ nomen Græca exponit voce, vocans eum Didymum, id est, geminum. Cum enim vox gemini, quamdam separationem significet, indicat, quod qui a cœtu Ecclesie divisus est, non invisitur a Christo. Quisquis autem extra Ecclesiam est, frustra expectat a Christo visitationem, consolationem, gratiam, salutem. In domo sua, vera scilicet Ecclesia, collectis apparet Christus et mittit Spiritum s. non in aliena, nec extra vagantibus in plateis, id est, schismatibus et hæresibus aliisque sectis. Unde S. Bern. serm. VI. de ascens. Dom. ait: *Falleris, Thoma sancte, falleris, si videre Dominum speras ab apostolorum collegio segregatus: non amat veritas angulos, non ei diversoria placent, etc.* Credibile est Thomam alibi discurrisse et quævisse Christum, modo apud sepulcrum, modo in via Emmauntica, sed non invenit Christum, nisi in domo apostolica.

II. Naturam et malitiam hæreseos. Hæc enim duo illa gravissima supplicia, excæcationem et indurationem homini adfert; quia intellectum excæcat et errorum tenebris involvit, voluntatem

vero pertinacia indurat. Ecce vobis Thomam adeo de mente dejectum, ut alia quidem non visa de Christo condiscipulis crederet, alia non crederet. Nam cum cruci non adfuerit, de vulnere lateris Christi, uti S. Chrysost. hom. LXXXVI. in Ierem. notat, nihil scivit nisi ex aliorum relatione, et tamen eisdem Christi resurrectionem asserentibus non credit. Vulneratum ergo in latere credidit, resuscitatum esse noluit credere. Idem faciunt hæretici, alia enim quæ sibi placent, seligunt e Scripturis et credunt, alia quæ displicent, non credunt. Pertinaciam ex eo agnoscimus, quod duobus discipulis ex Emmaus redeuntibus, Petro et decem apostolis Christi resurrectionem asserentibus non crediderit. Ita nimirum convincendis hæreticis nullum testimonium sufficit, quia fides est donum Dei, quod ipsi tamen contemnunt et sua pertinacia repellunt. Theodoricus de Appold. l. I. de vita S. Dominici, c. IX. scribit: « Per idem tempus Dominus Simon Montis fortis illustris princeps ferro persequabatur hæreticos, quos Christi confessor Dominicus gladio verbi Dei. Ita multa inter eos amicitia et familiaritas contracta fuit. Ut enim in ejus principis gestis legitur, cum catholici die quodam cum hæreticis disputassent, S. Dominicus quædam fidei documenta scripsit chartula, tradiditque eam hæretico, ut de objectis deliberaret. Ea nocte hæretici considerunt ad ignem, prolata est chartula viri Dei, dictum est ab hæreticis: Mittatur in ignem schedula, ut veritas comprobetur. Mox projecta in ignem, post aliquam moram inde nihil læsa prosiliit. Tum unus obstinatio: Mittatur, inquit, secundo et patebit veritas. Obtemperatum est illi, sed iterum charta resiliit, strepentes illis. Obduratus hæreticus etiam tertio id vult fieri; sed nihil chartulæ officit. Tanto autem viso miraculo, non sunt compuncti miseri illi, sed inter se gravissime prohibere, ne quisquam id catholicis indicaret. Attamen miles quidam, qui rei coram interfuit, fidei ex parte consentiens, insigne miraculum ad catholicorum notitiam perduxit. » En hæreticorum pertinaciam.

III. Cedere sensu et voluntate nostra, adeoque caput nostrum frangere in rebus fidei aliisque a Deo præscriptis; necnon moram et pertinaciam, si qua præcessit, sequente fervore compensare, et per bona opera passionem Christi nobis applicare. Totum hoc Thomas fecit. Cessit enim tandem et credidit surrexisse Dominum suum, nec erubuit ab errore ad regiam viam redire; deinde, fidei solemnem et clara professione perfidiam suam compensavit. Merito hæc confessio jungitur ipsi fidei, sicut malleus horam sonans jungi debet horologio, ut sit perfectum. Quod si aliter sonet,

aliter indicet, nihil valet; par ratio est de fide, nisi externæ confessionis consonantiam habeat. Denique, Christum ardenti amore complexus, totum se illi tradidit, dicens: *Dominus meus, et Deus meus*. Peculiariter quidem Christus Deus noster et Dominus noster est, quia in carne nostra doctor, dux et redemptor noster: sed non proinde omnes faciunt eum suum Dominum et Deum, quia nec obediunt ejus præceptis, nec imitantur ejus exempla, nec applicant sibi ejus merita per sacramentorum usum, etc. Quid autem prodest fontem in publico et ante fores tuas esse, si nunquam inde haurias? Habebis aquam sed non tuam. Haurietis, inquit Isaias, cap. XII. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*.

A Christo discimus, primo, lapsis condescendere, eosque erigere pro viribus. Ecce enim Christus ob unam ovem exerrantem, post dies octo iterum redit januis clausis ad cœtum discipulorum, iterum stat in medio, iterum ait: *Pax vobis*, sicut ante octiduum, ut ostendat se nunc propter unum Thomam venisse, id omne faciens uni Thomæ, quod prius fecerat omnibus discipulis. Hujus igitur exemplo conemur unusquisque, maxime qui ex officio obligamur, lapsis subvenire, et in gratiam ipsorum nihil non moliri, hortari, obsecrare, increpare opportune cum omni patientia. Ne simus instar Cain, qui de fratre interrogatus dicebat: *Numquid custos fratris mei sum ego?* Gen. IV. neque instar sacerdotum, qui Judæ penitentia ducto dicebant: *Quid ad nos? Tu videris*, Matth. XXVII.

Secundo, de nullo desperare quantumvis obstinato: ecce enim Thomam caute duriorem, tactu vulnerum suorum adeo emollivit Dominus, ut nix instar ad solis radios colliquescentis, cesserit et Christo se tradiderit. Nimirum vulnus lateris Christi foramen illius petrae est, per quod olim Moyses, vidit gloriam Dei, Exod. XXXIII. et per quod nunc Thomas vidit et agnovit Christum Deum: caminus ardens, Apoc. I. in quo Thomas quasi ustulatus exclamavit: *Dominus meus, et Deus meus*. Quisquis ergo induratus est et vitiiis assuetus, saltem in hunc caminum mittat manum suam; videat et tangat quid pro ipsius salute Christus passus sit: quot ostia salutis peccatori in passione aperuerit.

Tertio, non sufficere ad salutem credere in Christum eumque pro peccatis nostris mortuum esse, etiamsi multa alia nolumus credere; quod tamen hoc tempore plurimi præsertim de plebe existimant, cæteraque omnia maxime quæ in symbolo apostolorum non continentur, putant esse antiphora, unde statuunt quemlibet, qui in Christum credit, sive sit Lutheranus, sive Calvi-

nista, in sua fide salvari posse, eo quod omnes unum habeant Deum et caput, Christum. Verum hi redarguuntur.

Primo, a Christo qui a Thoma cæteroqui fidei unicum resurrectionis articulum requirit. Unde patet illum Thomæ ad salutem necessarium fuisse. Eadem ratio est de cæteris articulis. Cur enim credere oporteat Christum surrexisse: non oporteat autem credere Christum contineri in eucharistia etc. Nonne et hoc Scriptura testatur?

Secundo, ab apostolo, qui ad Titum III. hæreticum hominem devitari jubet, eo quod subversivus et proprio judicio condemnatus sit. Neque dicas hæreticum censi ab apostolo eum tantum, qui Christum rejicit aut aliquid pertinens ad symbolum; sic enim non esset hæreticus, qui rejiceret totam Scripturam et omnia sacramenta; item qui damnaret nuptias et cibos, qui duplicem in Christo personam poneret, qui tamen I. Tob. IV. et I. Joan. IV. inter hæreticos censentur.

Tertio, a tota antiquitate, quæ semper existimavit hæreticum non posse salvari; ideoque se hæreticis tam se acriter semper opposuit easque confutavit. Cur enim tot Concilia tanto labore et sumptu, convocatis ex toto orbe episcopis, adversus hæreses celebrata sunt? Cur toties anathemate damnatæ? Cur hæreticorum commercia catholici tantopere vitarunt? Cur plurimi exilia, mortem, et omnia tormentorum genera perferre maluerunt, quam hæreticis subscribere? Nonne hæc omnia frustra, stulte et injuriose facta essent, si in illis sectis salus obtineri poterat.

Quarto, ab ipsis hæreticis, qui inter se non solum dissentiunt, sed etiam mutuo se hæreseos damnant, uti Calvinistæ Lutheranos, Lutherani Calvinistas, Anabaptistæ reliquos omnes.

Quinto, ab ipsa ratione. Nam primo, sequeretur veram et orthodoxam fidem nihilo meliorem esse hæresibus, Arianismo, Pelagianismo, Nestorianismo, etc. siquidem per has salutem æque acquiri posse statuit ac per illam: sequeretur omnes pene antiquos hæreticos, quia plerique tenuerunt symbolum apostolicum, salvatos esse.

Secundo, sequeretur fidem falsam (si quis nimirum non recte intelligeret symbolum) sufficere ad salutem; imo etiamsi multos articulos absolute non credas. Non enim magis ad salutem prodest fides falsa, quam fides nulla. Plurimos autem symboli articulos alii sic, alii aliter intelligunt.

Tertio, cur symbolum potius fide tenendum, quam Scriptura divina? An hæc minoris est auctoritatis, quam symbolum?

Quarto, fundamentum fidei, id est, ratio cre-

dendi in hæreticis fallax est, ergo etiam fides, quæ ei innitur. Credunt enim sua dogmata, vel quia ipsorum apostoli (Lutherus, Calvinus, etc.) sic docuerunt; et hi falli potuerunt: vel quia ea in Scripturis proprio judicio contineri putant; et hoc fallax est, et unus eandem Scripturam pro hac, alter pro alia secta allegat, quia eam non intelligunt: vel quia spiritu privato interius edocentur, quis Scripturæ sit intellectus; et hoc idem fallit, quia plerique omnes gloriantur de hoc spiritu, et tamen inter se contraria docent, quod sane spiritus bonus nequit facere.

Quinto, sicut qui in uno præcepto delinquit, omnium reus est, ita scilicet, ut si verbi gratia adulter sit, æque damnetur, ac si in omnibus deliquisset: pari modo, qui unum abjicit fidei articulum, jam a salute excidit, non minus, quam si omnes abjecisset.

Quare frustra optant vel expectant aliqui, ut Ecclesia de articulis fidei aliquid remittat, quo cum recentioribus sectis in unum coalescat. Fides additamentum nescit et incisionem. Concilium Nicænum ne litteræ quidem unius incrementum admisit, ut Filius Patris ne concedendo similem negaret esse cum Patre eundem. Fides instar horologii est: ejus articuli quasi dentes rotularum sunt. Unum si tollas dentem, machina tota fallit.

Quarto, quam bonæ conditionis simus, qui credimus, tametsi non videmus. Ad nos enim spectat id, quod ait Dominus: *Beati qui non viderunt et crediderunt*, intellige fide viva, vel crediderunt sicut oportet servando præcepta fidei (sic enim dicitur: *Beati pauperes spiritu, etc.* non excludendo alias virtutes). Beati sunt cœli incolæ, quia Deum vident: beati sunt terræ incolæ, quia Deum non vident; per hoc enim eo pervenient, ubi Deum videbunt facie ad faciem, et: *Ubi, ut ait S. Aug. Ps. XCI. jam non dicitur nobis: Crede quod non vides, sed gaude quia vides.*